

SCRIPTA

Numéro Scripta : 842

Auteur(s) : Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Étienne (abbaye)

Bénéficiaire(s) : Caen, La Trinité (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1184...

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Délégué par Rome, Gautier, archevêque de Rouen, termine un débat qui s'était élevé entre l'abbé et les religieux de Saint-Étienne, l'abbesse et les religieuses de Sainte-Trinité de Caen, d'une part, et les Frères hospitaliers de la même ville, d'autre part, sur le prêtre à donner à l'Hôtel-Dieu pour dire la messe aux pauvres.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° L, t. 1, p. 64-66.

Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Walterius, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, Robertus, decanus, et Robertus, cantor Rothomagenses, æternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod cum inter abbatem et monachos Sancti Stephani, et abbatissam et moniales Sanctæ Trinitatis de Cadomo, ex una parte, et fratres hospitalis Cadomi, ex altera parte, contentio fuisset auctoritate supremi pontificis, coram nobis iudicibus delegatis, diutius ventilata, super instituendo presbitero in ipso hospitali, qui pauperibus Christi ibidem divina officia ministraret, post multas hinc inde et varias altercationes, tandem inter eos tota controversia, unanimi assensu, et consensu venerabilis Henrici, Baiocensis episcopi, conquievit. Sicque inter eos sanctitum est et firmatum in perpetuum, quod fratres dicti hospitalis ad supradictos abbatem et abbatissam, ad quod (sic) jus advocacionis capellæ ipsius hospitalis noscitur pertinere, quantumque res et necessitas exegerit in eadem capella præfici sacerdotes, quatuor presbiteros honestos et boni testimonii viros adduceret, et unum eorum, qui dictis abbati et abbatissæ magis placuerit, ad ministerium ipsius capellæ et pauperum, postulabunt intuitu caritatis admittendum prædicti abbas et abbatissa, habito inter se communi consilio ; unum de prædictis fratribus presbiteris, qui secundum Deum ipsis magis idoneus apparuerit, assumeret, et eum, considerata oportunitate, nullo de prædictis fratribus ad hoc evocato, domino episcopo Baiocensi præsentabunt: qui, ab ipso episcopo secundum statum canonicum admissus, ipso episcopo de canonica obedientia sacramentum præstabit fideliter exhibenda. Qui sacerdos, præfata capella institutus, præstito juramento obedientiæ, jurabit etiam se indemnitatem ecclesiæ Sancti Johannis in vico Oximensi, et ecclesiæ beati Petri, omniumque ecclesiarum aliarum Cadomi servaturum. Et si de

jure earum aliquid scienter, vel negligenter receperit, illud sine difficultate ecclesiis restituet. Quod nisi fecerit, tam inobedientiæ quam perjurii reus condempnabitur ; prædictis vero abbati et abbatissæ, et eorum conventibus, in eorum capitulis, exhibitione sacramenti se affringet, quod ipse jus eorum, et ecclesiarum suarum, unum et ecclesiæ Sancti Michaëlis quæ est matrix ecclesia ejusdem hospitalis, in omnibus observabit fideliter ; tunc itaque presbiter institutus præstatione proprii sacramenti se fidelem servabit ipsi domui et pauperibus extitutum. Quod si forte dictum presbiterum, casu aliquo, cedere vel decedere contigerit, aut ab eadem capella, occasione aliqua, amoveri, secundum modum suprascriptum res procedere tenebitur ordine iterato. Quod ne cujusquam malignitate valeat in posterum perturbari, præsentis scripti (sic), et sigillorum nostrorum robore duximus confirmandum. Valet.